ORATIO
THOMÆ SORRENTINO
IN REGIO NEAPOLITANO GYMNASIO

Ordinis Civilium Judiciorum Professoris

HABITA
IN SOLLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

An. CIƆIƆCCCXXVIII.

De humaniorum litterarum, ac Latinae linguae ad severiores disciplinas addiscendas usu, et necessitate.

Cum mihi demandatum fuit, AA. Orn., ut in hac sollemni, atque auspicata die de studiis ineundis orationem haberem, unde dicendi argumentum sumerem, haud diu, multumque mihi fuit exquirendum. Cum enim hujusmodi orationes, more, institutoque majorum, ipsi studiorum vestibulo ad eorum cursum dirigendum, et juventutem ad litterarios labores alacri animo suscipiendos cohortandam praeponi solitas nossem, id quoque mihi agendum, eo properandum statim intellexi. Inter ea autem, quae ante oculos obversabantur, illud me maxime movit, humaniores litteras, et Latinam linguam a plerisque adolescentibus ita contemni, ut non solum levitatis arguerentur, sed et despicatui haberentur; quin et in causa forent, quapropter discendi pro-

gressiones in severioribus disciplinis retardarentur. Cumque id praejudicium et publicae rei bono, et adolescentium ipsorum commodis perniciosum animadverterem, animum induxi, ut illud pro virili parte refellerem. Iamdiu prava quaedam opinio vulgares animos invasit, leve, atque inane esse humaniorum litterarum studium; recta ad severiores disciplinas eundum, quo adolescentes suae gloriae, ac dignitati, suis, aliorumque commodis et citius, et plenius consulant: Latialem sermonem veluti voraginem esse, quae tenera adhuc ingenia in ipso absorbet adolescentiae flore; decem, plus minus, annos, et quidem sereniores, in sterile opus insumi, ubi si qui profecerint, non aliud iis scire datum, quam qua lingua usi sint veteres Latii accolae, cui quidem in provectiori aetate addiscendae vix, ac ne vix quidem, biennium sufficere queat.

Quid hae voces temere jactatae praestiterint, omnes novimus, AA. Specie novitatis allecti juvenes, et spe illa capti, quae magis eorum animos laborum

intolerantes corripit, praepropera festinatione scientiarum adeunt sacrarium, quo ubi pervenerint, sese turpiter deceptos fateri coguntur, iis subsidiis destituti, quae ad susceptum iter peragendum necessaria prorsus erant. Quare operae pretium me facturum duxi, si humaniorum litterarum, ac Latinae linguae peritiam maximo ad severiores disciplinas addiscendas et usui esse ostenderem, et necessitati, et ornamento.

Rem haud indictam aggredior, eximiam tamen momento suo, et quam temporum ratio, et adolescentium utilitas exposcere videbantur. Quod si in ipsa rerum dicendarum copia spartam, quam nactus sum, satis pro dignitate ornare nequeam, vos oro, atque obsecro, ut, quae vestra est humanitas, aequi, bonique faciatis.

Omnes disciplinas quoddam commune vinculum habere, et cognatione quadam inter se conjungi; veteres tradiderunt sapientes, eumque disciplinarum concentum Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν, Romani doctrinarum orbem appellaverunt. Hoc ita persuasum recentioribus quoque fuit, ut eorum nonnulli ad conjunctio-

nem illam indicandam eas ita ex ordine exposuerunt, ut arboris formam prae se ferrent. Sicuti enim in arbore diversorum artuum compages, et internodia conspiciuntur, sic in humanarum cognitionum descriptione in arboris modum disposita, earum antecessiones, et progressus, necessitudo, et affinitates, tanquam in tabula exhibentur. Cumque a facilioribus semper ad difficiliora, et a simplicibus ad compacta gradum faciendum natura ipsa suadeat, quae notiones alias antecedunt, quaeque ad altiores ascensus quodam veluti praesidio, ac fundamento sunt, imam arboris partem, seu radices constituunt. Principem inter has locum tenere humaniores litteras, quarum nomine grammaticam, historiam, geographiam, poesim, eloquentiam praecipue intelligo, nemo unquam dubitavit. Re sane vera cum homo ad societatem comparatus in ea sit causa, ut cum aliis conferat, loquatur, suas cogitationes, curas etiam, et sollicitudines communicet, grammaticae in primis, quae est ars emendate loquendi, et scribendi, auxilio indiget. In

civitale constituto aliorum saepe animos movere, et in suam pertrahere sententiam, eosque ad aliquid moliendum, fugiendum, aut credendum inducere opus est; quae ad id assequendum via aut facilior, aut expeditior, quam quae suppeditat eloquentia, ars scilicet apte, ornate, copiose loquendi? Hinc rhetorices addiscendae necessitas. At unde ornamentum, et copia orationi quaeretur, si praeteritorum temporum memoria, si rerum a majoribus gestarum enarratio, si locorum intervalla, situs, si mores, et instituta gentium ignorentur? Nunquid in eo, quod nescit, disertus esse quispiam potest? En quae nos causae ad haec quoque praediscenda, historiam nempe, et geographiam, impellunt. Eloquentiae affinis est poesis: quicquid enim illa magnificentiae, venustatisque prae se fert, id non ferme aliunde, quam ab ipsius poesis fontibus haurit, a qua, ut Quintilianus ajebat, et in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur. Itaque compertum habemus, AA., humaniores litteras seve-

riorum disciplinarum veluti vestibulum esse, qua pene singularis ad earum penetralia aditus pateat, quasque si quis neglexerit, frustra ad altiores scientiarum recessus contendet. Hinc factum, ut omnes gentes belli, pacisque artibus florentes, ab his studiis, quibus aetas puerilis ad humanitatem informatur, puerorum institutionem exordiri putarunt. Graeci, quibus ingenium, quibus ore rotundo musa dedit loqui, ut Venusinus poeta cecinit, ita pueros instituendos censuerunt, ut ii litteras primum, deinde palaestram, et musicam discerent. Veteres illi sapientes, qui publicis rebus vel constituendis, vel componendis, leges, et jura dederunt; philosophi, qui morum praecepta tradiderunt, nunquam humaniorum litterarum disciplinam cum recte vivendi ratione non conjungendam vel praescripserunt, vel suaserunt. Has viri illi praestantissimi tanti faciebant, ut eas omnis liberalis educationis, omnis ingenuae disciplinae, omnis humanitatis, unde etiam nomen invenerunt, fontem esse uberrimum ducerent. Solon pueris Atheniensibus ora-

toriae in primis, et poeticae studium indixit. Lycurgus, severioris imperii vir, quamvis rhetoricae animum appellere Spartiatibus suis interdixisset, veterum tamen rerum memoriam, et poetarum lectionem inculcavit; et ut carminibus componendis, et canendis se exercerent, praecepit. Pythagoras, nobilis ille sapientiae amator, nihil a discipulis suis magis exposcebat, quam ut litteris imbuerentur, jubebatque adolescentes graviora contemplaturos animum prius amoeniore aliqua lectione firmare. Aristoteles, cui quantum disciplinae omnes debeant, haud facile quis dixerit, ita litteris operam dedisse fertur, ut etiam tempus somno praereptum iis excolendis impenderit. Is optimum civem, qui patriam defenderet, atque ope, et consilio juvaret, neminem esse ajebat, nisi qui litteris foret eruditus. Plato ipse, qui e sua commentitia illa republica Homeri, et Hesiodi carmina, et fabulas exterminavit, ab ea nec veraces historicos, nec sobriam eloquentiam, nec hymnos, aut carmina, quibus Deorum, aut heroum laudes concinerentur, exulare passus est.

Romanis, penes quos olim propter diutina militiae studia nulla ex Graecis artibus in pretio erat, haud absimilis fuit puerorum educatio. Hetruscas ipsi primum litteras, deinde Graecas, postea liberalia studia, et animi cultum, eos discere voluerunt. Ita institutos, educatosque fuisse vetera testantur monumenta utrumque Scipionem, Africanum nempe, et Asiaticum; duo Gracchos, Corneliae matris diligentia omnibus liberalibus artibus eruditos; Marcum Tullium Ciceronem, Cn. Pompejum, Marcum Crassum, Lentulum, Metellum, Lucullum, Curionem, totque insignes alios e Romana gente viros, quorum nomen nulla temporis vetustas obliterabit. Ipse Augustus, qui Lucium, et Cajum sibi filios adoptavit, subsecivis horis illos in litteris primum erudivisse fertur. Tanta insuper ejus rei cura et summos principes, et magni nominis viros incessit, ut publicae rei rationibus se prospicere putarent, si pueris, cum primum adolescerent, litterarum magistros publica impensa praeficerent. Tempus me deficeret, vestraque, AA., abuterer patientia, si ea me-

morare vellem, quae nuncia vetustatis historia ad posteritatem ea de re transmisit. Juvabit itaque silentio praeterire quae Alexander Macedo apud Persas, quae apud Hispanos Sertorius, quae Vespasianus, quae Trajanus, quae Hadrianus, quae Antoninus Pius, quae, ut alios sileam, Valens, et Gratianus ad adolescentes in ingenuis artibus, optimisque disciplinis erudiendos praestiterunt. Ii sane cum intelligerent puerorum in ingenuis litteris institutionem boni, malique seminarium esse, optimo consilio illud maximopere curarunt, ut non modo plene, ac cumulate praesto forent, quae ipsis alendis erant necessaria, sed et quae eorum magistris ad rem bene gerendam maximo essent incitamento; quos sane et summis honoribus auxerunt, et honorariis lautioribus, et immunitatibus donarunt, utpote grandioris publici muneris rationibus addictos. Prostant in hanc rem in Theodosiano, et Iustinianeo Codice repetitae praelectionis leges Constantini, Honorii, et Theodosii, in quibus primus datur grammaticis locus, qui scilicet circa curam utrius-

que linguae, Graecae nimirum, ac Latinae occupati, jactis rudimentis, puerorum animos ad virilem sapientiam praepararent.

Jam vero eadem docendi ratio, idem ordo, quem veteres servasse novimus, utpote rerum naturae, et hominum ingenio apprime consentaneus, ad nos usque manavit; ut scilicet adolescentibus, sive publice, sive privatim educarentur, ad severiores disciplinas praecluderetur aditus, donec integrum humaniorum litterarum cursum peragerent.

Tenebricosis illis temporibus, cum, ingruentibus barbarorum copiis, universalis pene inscitia, veluti nox illunis, Europae incubuit, omnis honor litteris decessit, at scientia omnis, et disciplinae universae simul intermortuae jacuerunt: priscus eis, foedae barbariae nebulis depulsis, non rediit nitor, nisi postquam bonae artes, et humaniores litterae e tenebris fuerunt in lucem evocatae. Exculta quidem ea tempestate vetus aliqua disciplina fuit, at quae ejus facies, qui status! Ii, qui Philosophiam profitebantur, meras argu-

tias, ineptiasque pro sapientiae studio sectabantur. Qui Jurisprudentiae operam navabant, in jure, praesertim Romano, interpretando turpiter hallucinabantur. Piget me vel summatim referre quot, quantaque inepta, absurda, puerilia, fabulosa profuderint tunc temporis Romani juris interpretes, quae illi mehercule non effutivissent, ubi humanioribus litteris instructi ad veterum jurisconsultorum responsa, et Divales constitutiones accessissent. Sacrae ipsae veteris, et novi foederis Scripturae, quae divinae sapientiae thesauros hominibus recludunt, quam parum per idem tempus cognitae, atque intellectae fuerunt! aruerat jam amplissima illa eruditionis seges, quam ex humaniorum litterarum penu depromptam prisci Ecclesiae Patres, qua Graeci, qua Latini, ad earum intelligentiam attulerunt. Intellexerat maximus ille Latinae Ecclesiae Doctor, omnium praeconio celebrandus, Hieronymus, duas esse divinarum litterarum interpretis, doctorisque partes, unam, quae earum intelligentiam, alteram, quae explanationem respiceret, eoque ingenii vires intendit,

ut quantum utrique humaniores litterae illae conferrent, satis ipse exemplo suo doceret. Non solum enim Latinam, Graecam, Hebraicam, et Chaldaicam linguam, quarum penitiorem notitiam magno labore assecutus fuerat, sed liberales omnes disciplinas praeclare ei fuisse adjumento ad sacrarum litterarum interpretationem saepius ostendit.

Quam magno porro usui eaedem litterae fuerint, recentioribus etiam temporibus, Catholicae fidei propugnatoribus, neminem vestrum latere arbitror, AA.. Sexto et decimo ineunte saeculo, grassante Lutherana haeresi in ea Germaniae regione, quam Saxones incolebant, Haeresiarcha, quo imperitis fucum faceret, illud e re sua putavit, si ad humaniorum litterarum praesidium confugeret. Dicendi quadam facultate praeditus, ingenii vi, eruditionis apparatu, atque ornata locutione fisus, germanum sacrarum Scripturarum sensum evertere aggressus est. Ut paribus concurreretur telis, et suis quodammodo jaculis teterrimus hostis confoderetur, Catholicae fidei propugnatorum ingenia, nulla in-

terposita mora, ad earundem humaniorum litterarum studia exarsere. Veteres linguas, monumenta rerum antiquarum, intervalla temporum, locorum descriptiones, antiquitates; varios gentium mores, sacros, profanosque ritus, et alia id genus, quibus ad Divinorum librorum intelligentiam erat opus, summa animorum contentione perlustrarunt; atque his obarmati telis hostem ad internecionem profligarunt, debellarunt.

Ex his, quae hucusque diximus, facile quisque intelligere potest, cur veteres Ecclesiae Patres, et Doctores, tanti humaniores litteras fecerint, ac tam impense Paganorum libros, optimos ipsarum litterarum magistros, et lectitarint, et aliis pervolutandos tradiderint. Quicquid sane ornamenti, suavitatis, eloquentiae, venustatis, eorum scripta prae se ferunt, id magna ex parte iis praeceptoribus acceptum referendum est. Basilius, et Gregorius Nazianzenus, viri pietate, et litterarum cultu insignes, ac magni in re Christiana nominis, eorum lectionem non solum probarunt, sed et commendaverunt. Et Tridentini patres cum

obscenos libros damnassent, ac proscripsissent, veterum scriptorum libros, ob sermonis elegantiam, grandioribus natu permiserunt. Dionysius Petavius, egregium illud Jesuiticae Societatis, totiusque Theologorum familiae lumen, et ornamentum, duabus appositis orationibus, Gentilium lectionem inculcare, et liberalium doctrinarum usum, et necessitatem ad Scripturam interpretandam demonstrare conatus est; verbisque, et argumentis divi Hieronymi usus, nos neque prudentiores, neque doctiores eodem Hieronymo esse conclamat, ut quam ille liberalium, et ingenuarum artium necessitatem, et quidem gravissimam praedicet, eam nos auctoritate primum tanta edocti, tum experientia ipsa victi, et admoniti non fateamur.

Humaniores litteras omnis institutionis basim, et fundamentum esse jam vidistis, AA.; nunc quantum illae jucunditatis, et ornamenti, cujusvis severioris disciplinae cultoribus afferant, mecum advertite.

Si quid vel in docendo, vel in discendo, juvat, ac delectat, illud certe in primis est sermonis elegan-

tia, stili venustas, verborum lepor, et suavitas. Haec autem nonnisi litteris illis debentur, quae omnis venustatis, ornatus, concinnitatis, elegantiae, quasi procreatrices, et parentes sunt. Ipsae asperitatem illam, quae severiorum disciplinarum praeceptis inest, leniunt, ac condiunt, eaque ejusmodi suaviora, atque amabiliora vel fastidiosis reddunt; haud secus ac pueris aegrotantibus amara ad sanitatem recuperandam potui damus dulcibus permixta liquoribus, ut quadam dulcedinis specie eorum palatum decipiamus. Ipsae hominibus occupatis veluti oblectamentum sunt, et quaedam pro tempore a severioribus negotiis avocatio. Ipsae otium illud constituunt, de quo Cicero in Tusculanis, quid dulcius otio litterato? Atque ea sane ratione et animus in maximis occupationibus firmatur, et ingenii vires identidem reficiuntur. Quemadmodum enim ei, qui diu, multumque ex edito loco oceanum procellis agitatum, vel asperam, et montuosam regionem contemplatus est, extemplo recreantur oculi, objecto aliquo per amoena labentis

aquae rivo, aut topiarii operis aspectu; ita animus diutina graviorum rerum meditatione fractus, ac debilitatus, in hisce studiis conquiescit, ac delectatur. Cicero, quo in uno multos sapientes admirari possumus, quemque eloquentia plus valuisse, an philosophicarum, et politicarum rerum scientia, difficile est definire, se his studiis deditum fatebatur, ut ita animus ex forensi strepitu reficeretur, et aures convicio defessae conquiescerent (1). Ea, ajebat ille, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur, quaeque si ipsi neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus. Praetermittere mihi mens est, ne in longum excurrat oratio, omnium exempla virorum, qui litteris elegantioribus in maximis laboribus, vigiliisque,

(1) In orat. pro Arch. poeta §. VI.

tanquam solatio usi sunt, et quodam adjumento ad altiora capessenda. Praeterire tamen nequeo vel Solonem, qui eadem cura, qua Atheniensibus publice, et private vivendi rationes dictabat, rhapsodiarum canendarum modum docere, ac dulcibus elegis Minervam, Athenarum tutelam, invocare ferebatur; vel Socratem, veterum omnium philosophorum sapientissimum, qui praeterquamquod poetarum auctoritate in suis sententiis saepissime utebatur, hymnum Apollini scripsit, et nonnullas ex Æsopiis fabulis in versus redegit; vel Theophrastum, cui a divinitate loquendi nomen factum; vel Xenophontem, et Platonem, quorum alterius voce musas quasi locutas, alterius Jovem ipsum, si graece locutus esset, locuturum fuisse ajebant. Nec mihi silentio praetereundi divinus ille vir Africanus, qui et in urbe, et in bellicis expeditionibus Xenophontis Cyropaediam nunquam de manu ponere solebat; et Varro, et Caesar, quorum alter summarum disciplinarum cognitione, alter rerum gestarum magnitudine, Romanos ante se omnes vicerunt, quique in

maxima scientiae, aut imperii gloria, ne grammaticae quidem artis tractationem sibi indecoram esse duxerunt. Et ut aliquid de recentioribus etiam, ac praesertim Italis, quorum plerosque veteribus illis sine periculo opponere possemus, dicam, quis nescit, quam miro connubio Galilaeus, Aulisius, Gravina, Ægyptius, Majelli, Redius, Manfredius, Maffeius, Averanius, humaniores litteras cum severioribus disciplinis copulaverint, quosque in his progressus earum praesidio fecerint? Stet illud igitur, neminem bonum intelligendi magistrum unquam extitisse, qui non item ornate, et emendate dicendi gravissimus auctor fuerit.

Ad alteram orationis partem, in qua de Latinae linguae usu, et necessitate, verba facere mihi propositum fuit, jam devenimus, AA.. Ex omnibus causis, quibus majores nostri postrevocatas a barbariae tenebris litteras, tantopere latinam Linguam adamarunt, duae praecipue mihi fuisse videntur, altera quod tam multos scriptores ea claruisse lingua animadverterent, ad quorum intelligentiam propter admi-

rabilem eorum sapientiam omnem operam conferendam putarent; altera quod ejus utilitatem, ac dignitatem introspexerint. Re sane vera quaenam unquam disciplina, aut quae ars fuit, quam ea lingua complexa non est; aut quid nostra hac vulgari proditum est, quod non ante, et melius prodiderit Latina, illius non parens solum, sed et nutrix, et magistra? Humana, divinaque omnia, animo, et cogitatione percurrite, rerum gestarum memoriam in mentem revocate, omnia profecto litteris Latinis aut luculenter exposita, aut distincte enucleata, aut sapienter praevisa intelligetis. Proximis tribus saeculis maximos, quam unquam, in physicis rebus progressus factos esse nemini ignotum: attamen quam multa eorum, quae tanquam recentiorum inventa circumferebantur, veteribus cognita fuisse comperimus? Magnae laudi Keplero, et Neutono fuit maris aestus originem reapse a Sole, et Luna repetendam demonstrare. Id jam a majori Plinio animadver-

sum deprehenderunt plerique (1) : at eandem rem multis ante Plinium annis docuit Cicero in secundo de Divinatione libro, ubi postquam ostreis, et conchyliis omnibus contingere dixit, ut cum Luna crescerent pariter, pariterque decrescerent, arboresque hiemali tempore cum Luna simul senescentes tempestive caedi; quid, subjungit, de marinis aestibus plura dicam, quorum accessus, et recessus Lunae motu gubernantur? Sexcenta licet ejusmodi proferre, ut distantium rerum cognatio naturalis appareat.

Si verum amamus, AA., eam linguam gentes omnibus artibus, quae liberales vocantur, instituisse; optimas leges eam linguam docuisse; viam ad omnem sapientiam eandem ipsam linguam munivisse, inficiari non possumus. Cuncta a populo Romano mirabiliter facta sunt, et in commune hominum bonum quodammodo aeternitati consecrata. Aliarum linguarum usus cum ipsis nationibus defecit; at Latina Romani im-

(1) Plin. hist. natur. lib. 2. §. XCIX.

perii excidio superfuit, et toto orbe diffusa est, ut non unius aetatis, neque Romanorum tantum, sed omnium eruditorum jure meritoque dicenda sit; quod quidem divino prorsus consilio, ac providentia factum esse reor, ut ita omnes omnium gentium homines secum colloqui, ac conversari, sua facta, ac cogitationes invicem possent conferre. Quae de universalis cujusdam linguae institutione Leibnitius, Volfius, aliique recentiores philosophi cogitarunt, perbelle Latinae linguae aptari potuissent, quae sensim, et sine sensu, nemine adnitente, pene universalis evasit. Ipsa principem adhuc in academiis, et litterariis ludis locum obtinet, quodque ejus, mea quidem sententia, maxima laus est, in sacrorum rituum, et canticorum usum, jam inde a suis incunabulis adscivit Ecclesia. Qui igitur latine nescit, is non solum linguae illius adminiculo carere, sed oratorum, poetarum, historicorum, philosophorum, jurisconsultorum, omniumque ferme rerum, quibus humanae vitae ratio continetur, nescius esse cogetur.

Non me fugiunt quae hujus linguae obtrectatores ejus cultoribus objiciant, eos nempe demortuam, et obsoletam linguam colere, propriam vero, ac nativam, quam non a praeceptoribus, nec in scholis didicimus, sed a nutricibus cum lacte hausimus, negligere; nihil illis antiquius esse, quam quod latine oleat, latinum sapiat, puerosque ad ingratissimum opus a teneris unguibus damnare, eorumque ingeniorum primitias, et vires in unius linguae studio sepelire; sua cuique lingua loquendum, et philosophandum; veteres ipsos sapientes non alia, quam sua et in dicendo, et in disputando lingua usos esse; neque Demosthenem, neque Tullium aliena, sed alterum Attica, alterum Romana lingua et humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate dixisse; multum denique sapientiae parari posse eo labore, quo ad ejus linguae intelligentiam adipiscendam quemque defatigari, et penitus frangi necesse est.

Quid his hominibus reponam, AA., qui, ut suam inscitiam tegant, nescio quod sapientiae studium, at-

que animi fervorem prò vulgari lingua simulant, quasi vero utriusque studium copulari nequeat; quasi vetus illa Latialis lingua in ejus, quam loquimur, opprobrium, ac perniciem extollatur? Undenam, sciscitarer ab eis, Italica lingua suum nitorem, elegantiam, ornatum accepit, nisi a Latina, quam tot saecula foverunt, tot doctissimorum virorum ingenia illustrarunt, ex cujus originibus antiquissimam quoque Italorum sapientiam peculiari opere Vicus noster demonstravit?

Recentiores linguas, quibus major cum Latina affinitas intercessit, celerius ad maturitatem, ac perfectionem pervenisse jam compertum est. Qui melius de Italico sermone meriti sint, eos esse novimus, qui in Latino sermone fuerunt versatissimi. Quis ignorat quantum ea de re Danti Aligherio, Italicae linguae, et poeseos patri, qui innumeras voces ex Latino in Italicum sermonem invexit, quique stili venustatem a Virgilio hausisse gloriabatur; quantum Petrarchae, lyricorum Italorum facile principi; quantum Boccatio, Casae, Bembo, Sannazario, Areosto, Tasso, Mol-

zae, Navagerio, aliisque debeamus, quorum ut quisque Latini sermonis peritior, ita Italici idiomatis scriptor fuit accuratior?

Adolescentes optimi, quorum commodis oratione mea inservire studui, eja in humaniores litteras, et Latinam linguam, scientiarum limina, animi ornamenta, cujusvis aetatis decora, totis viribus, et summa ingenii contentione incumbite. Vobis non indoles præstans, non aetas ad discendum opportuna, non scriptores, aut exempla ad imitandum deficiunt. Cœli serenitas, aeris clementia, soli fertilitas, in hac, quam incolimus, regione, ad id maxime incitant, atque alliciunt. Augusti aevo non aliunde aurei nomen factum fuit, quam ab humanioribus litteris, ingenuisque artibus. Cicero quantum caeteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi, et corporis, concedebatur temporis; quantum alii tribuebant tempestivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum sibi ad haec studia re-

colenda sumere ajebat. At qualis, quantusque vir! Nos, qui neque sapientiores, neque facundiores Tullio sumus, ignavi ea studia aversabimur? Graeci, qui olim ita bonas artes, ac litteras coluerunt, ut eorum una in terris gens omnis humanitatis, ac doctrinae gloria excellere visa fuerit, Ægyptiorum linguam, Romani Graecam discere non sunt dedignati, nos, qui Latinam non parentem solum, sed nutricem, et magistram Italicae linguae agnoscimus, eam ingrati animi crimine despiciemus, contemnemus? Eja perniciosam istam opinionem, quae jucundissima haec, et perquam necessaria studia, tanquam inutilia arguit, exuite, ejicite. Nolite vestrorum ingeniorum progressus manca, atque imperfecta institutione praepedire. Debemus hoc Deo providentissimo, a quo omnia nobis provisa, et constituta sunt; debemus Regi optimo, qui rebus omnibus, quae ad animum erudiendum requiruntur, profusius nos instruxit, et ditavit; debemus patriae, quae sinu fovit; debemus parentibus, quorum curis, ac laboribus alti, educatique sumus; debemus denique no-

stro, Majorumque nostrorum nomini, cujus diuturnitati consulere aequum est. Instate igitur, et qua mentis alacritate polletis, humaniores litteras, et Latinam linguam; tanquam scientiarum omnium fundamenta, animis vestris imprimite, persuasumque vobis sit; aut nihil, aut parum in severioribus disciplinis sine penitiore earum cognitione profici posse.

FINIS.